



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Nix.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

Plinio tremefactæ fœtum effundunt, Sic peccator differens pœnitentiam fulmine sive physico sive morali, v. g. vivâ imaginatione inferni territus virus peccati ejicit. Et in hoc sensu etiam intonuit de celo ( sæpè in S. Script. cælum pro aëre ponitur ) Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis [ fulmina & fulgura sic appellantur ] & misit sagittas suas ( fulmina hæc sunt irati tela trifurca Dei ) & dissipavit eos ; fulgura multiplicavit , & conturbavit eos. Pl. 17.

*Nix.*

**N**Unquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis respexisti? Job. 38. Nempe multa scire vis, & originem eorum, quæ toties vides, non intelligis. Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. Pl. 50. Per pœnitentiam. Tegens fœcundum aut sterquilinum nix symbolum hominis pulchri, sed peccatoris.

*Pluvia.*

**E**xpectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Job. 29. Hoc verificatur in homine sacrâ doctrinâ & eloquentiâ apud proximum fructificante. Terra venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Hebr. 6. Terra cor humanum, quod cum imbre divinæ gratiæ profert fructum.